

# SUMMA TEXTUS

## LIBRI SECUNDI SENTENTIARUM.

Totus hic liber tractat de processione creaturarum a Deo. De quo primo agit in communi distinctione prima. Deinde, in speciali de creaturis procedentibus a Deo a distinctione II usque ad finem libri, tali ordine, quod prima agit de natura pure spirituali, scilicet de Angelo, a quaestione II usque ad XII. Deinde, de creatura pure corporali usque ad XVI. Deinde, de homine, qui est compositus ex utraque a quaestione XVI, tum quoad ejus formationem et integritatem usque ad distinctionem XII, tum quoad ejus lapsum usque ad distinctionem XXX, tum quoad peccatum originale ex ipso derivatum in posteros, usque ad distinctionem XXXIV, tum denique quoad peccatum actuale ex effectibus originalis deductum, et per imitationem ex primo peccato derivatum, usque ad finem libri.

### DISTINCTIO PRIMA.

In hac distinctione agit de processione creaturarum in communi. Et dividitur in tres partes tota distinctio. In prima agit de ipsa ratione creationis distinguens eam ab aliis operationibus, seu actionibus. In secunda ostendit creationem rerum factam esse in tempore. In tertia distinguit genera creaturarum ab ipso procedentium, praesertim rationales creaturas, inquirens ad quid sint creatæ.

Circa primum, docet creationem esse productionem ex nihilo, facere vero est, vel de nihilo, vel de materia aliquid operari, unde creaturis attribuitur agere, et facere, soli autem Deo creare. Hoc autem nullam mutationem ponit in Deo quando de novo creat, nec aliquam passionem, vel lassitudinem, sed tota mutatio ponitur ex parte effectus, et sic dicitur de novo aliquid producere, quando per ejus voluntatem aliquid de novo contingit, seu habet esse. Creatura vero quando de novo ope-

ratur dicitur mutari, quia per motum operatur.

Circa secundum, docet contra Aristotem qui posuit mundum ab æterno, et duo principia, scilicet materiam, et speciem, et tertium operarium dictum) mundum in tempore creatum esse a Deo, extitisse vero Deum æternaliter ante mundum, et ipsum esse creatorem visibilium et invisibilium, nec ex alia causa, quam ex bonitate sua res omnes creasse.

Circa tertium, ad distinguendum genera creaturarum procedentium a Deo, proponit duas dubitationes, et solvit. Prima est, quare, et, ad quid facta sit rationalis creatura? Respondetur supponendo Deum, quia summe bonus est, non solum vultisse creaturas producere, sed etiam se illis communicare per fruitionem beatitudinis. Unde oportuit rationalem creaturam produci, quæ intelligendo et amando, ipsum capere potest, et illo frui, et hæc rationalis creatura quædam facta est sine corpore, ut Angeli, quædam unita cor-

pori, ut homo. Et sic cum quaeritur, quare creatus sit homo, vel Angelus, et ad quid creata sit rationalis creatura, respondetur propter bonitatem Dei esse creatam, et ad fruendum Deo, et serviendum ei. Sicut autem homo factus est, ut Deo serviret, ita mundus, ut serviret homini. Quod vero dicitur aliquando hominem factum esse, ut ruinas Angelorum repararet, non ob hanc solum causam factus intelligi debet, sed hæc etiam una ex causis fuit.

Altera dubitatio est, cur anima rationalis corpori unita sit, cum majoris dignitatis sit esse sine corpore. Respondetur triplicem esse causam. Prima, voluntas Dei. Secunda, ut in unione animæ ad corpus infimum daretur homini exemplum quo cognosceret Deum, qui est summus Spiritus, non dedignari in beatitudine se communicare menti creatæ, si quidem tam excellentissimum spiritum, sicut est animal, univit carni, quæ infimum corpus est, licet quod minus in sua conditione acceperat caro, per glorificationem postea in beatitudine compensandum sit. Tertio, ut animæ in corporibus Deo famulantes, suam mererentur coronam. Docet ergo tractandum esse de creatura spirituali, corporali, et humana, et primo a spirituali, id est, ab Angelis incipiendum.

Circa hanc distinctionem, inquit D. Thomas de unitate Dei, an sit tantum unum principium, vel plura, de quo I p. q. XLIV, art. I et q. XI, art. III. Secundo, inquit, an Deo soli conveniat creare; an etiam creaturæ saltem instrumentaliter, de quo I p. q. XLV, Tertio, an creaturæ efficiant directe, et per se existentiam, an ex virtute Dei, de quo I p. q. CIII, art. VI, et solet disputari I p. q. III, art. IV. Quarto, an mundus sit ab æterno, vel in tempore de quo I p. quaest. XLVI, art. I. Quinto, utrum Deus agat propter finem, et hic sit boni-

tas ejus, de quo I p. quaest. XLIV, art. I. Sexto, utrum anima humana debuerit uniri tali corpori, et hoc sit ei naturale, de quo I p. q. LXXXIX, art. I et q. LXXXIX, art. I.

### DISTINCTIO II.

Ab hac distinctione incipit agere de natura angelica, de qua agit hoc ordine. Primo, agit de creatione Angelorum. Secundo, quales fuerint Angeli in sua creatione, sive quoad naturam, sive quoad culpam, sive quoad innocentiam. In quarto, agit de eisdem quoad gloriam, vel miseriam. In quinto, de eorum conversione ad bonum per meritum, et aversione a bono per demeritum. In sexto agit de his, qui ceciderunt, an fuerint ex majori hierarchia. In septimo, de confirmatione honorum in gratia, et obstinatione dæmonum in malo. In octavo quantum ad operationem visibilem; an habeant Angeli corpora sibi naturaliter unita; an non. In nono, agit de distinctione ordinum inter se, tum inchoative per naturam, tum consummative per gratiam. In decimo, de missione Angelorum. In undecimo, de custodia.

Igitur in præsentī distinctione tractat de creatione Angelorum, quomodo executioni demandata sit, considerando, tum tempus quo creati sunt, tum locum in quo creati sunt, tum materiam rerum corporalium cum qua creati sunt. Et sic tria facit. Primo, ostendit Angelos non esse creatos ante initium temporis, et mundi, sed cum ipso. Secundo, ostendit fuisse creatos in cælo empyteo. Tertio, agit de materia rerum corporalium, cum quibus simul Angeli sunt creati.

Circa primum dubitationem proponit circa tempus in quo creati

sunt Angeli, quia ex una parte dicit Scriptura, quod prima omnium creata est sapientia, id est, angelica natura, quæ est plena sapientia, reliqua ergo post ipsam creata sunt. Ex alia vero parte dicitur: *In principio creavit Deus cælum, et terram: Tu in initio terram fundasti*, ergo ante istas creaturas nulla alia creata est, sic enim ante ipsas esset initium. Respondetur simul esse creatam utramque naturam spiritualem, et corporalem, et sic potest accipi illud Ecclesiastici XVIII: *Qui vivit in æternum creavit omnia simul*, id est, omnem naturam spiritualem, et corporalem. Et ex Augustino super Genesim ad litteram hoc ipsum ostendit, scilicet creaturam corporalem, et spiritualem in initio temporis esse creatam, nec ante ipsum tempus, nec ante mundum, nec ante sæcula, sed cum sæculis cœpit quæcumque creatura: Hieronymo autem qui oppositum affirmare videtur super epistolam ad Titum non sentiendo, sed aliorum opinionem referendo dicit.

Circa secundum, docet Angelos in cælo creatos esse, quia inde corrui diabolus, juxta id quod Dominus in evāgelio dicit: *Videbam Satanam tamquam fulgur de cælo cadentem*. Hoc autem cælum non accipitur pro hoc cælo, seu firmamento visibili, sed pro cælo empyreo, quod supra firmamentum est, ut docent Strabus, et Beda.

Circa tertium, concludit materiam rerum corporalium factam esse cum angelica natura, sed sicut corporalis natura prius facta est informis, postea distincta, et formata ornatu suo, ita spiritualis natura prius facta informis fuit in natura, comparatione ejus ornatus, et formationis, quam in gloria accepit. Si quæras quo modo in cælo empyreo Angeli facti sunt, cum Lucifer Isai. XIV. dixerit in cælum conscendam

super astra Dei, respondetur cælum quo volebat conscendere Lucifer, esse cælum divinitatis, non loci corporalis.

Circa hanc distinctionem inquirunt primo, D. Thomas, de duratione Angeli, quæ est ævum, an differat ab æternitate, an sit unum tantum pro omnibus Angelis, de quo I p. q. X, art. IV et VI. Item, an inceperint ante mundum, de quo I p. q. LXI, art. III. Secundo, inquirunt de loco Angelorum, an detur cælum empyreum; an sit lucidum, habeatque influentiam in hæc inferiora, de quo I p. q. LXVI, art. III et quod I. VI, art. XIX.

## DISTINCTIO III.

Explicata creatione Angelorum, sequitur de eorum natura, et perfectione agere. Et dividitur hæc distinctio in quatuor partes. In prima proponit perfectiones naturales Angelis attributas in sua conditione. Secundo, inquirunt in quonam æquales fuerint, seu convenerint, et in quo sint inæquales. Tertio, proponit, an fuerint aliqui ab ipso initio mali, an omnes boni. Quarto, duas breves difficultates resolvit.

Circa primum, quatuor dicit esse Angelis attributa in sua conditione, quæ ad naturalem perfectionem pertinent, scilicet quod essentia sit simplex, id est, indivisibilis, et immaterialis. Secundo, quod sit in eis personalis discretio. Tertio, quod sint naturales potentie, intellectus, memoria, et voluntas. Quarto, quod sit liberum arbitrium in eis.

Circa secundum, dicit Angelos fuisse inæquales in tribus, scilicet in subtilitate nature, in perspicacitate intelligentie, et in virtute arbitrii. Et juxta eorum naturalem differentiam, inæqualia etiam dona gratie accepisse, ita ut qui digniores erant in natura, excellentiores quoque fue-

rint in gratia. In duobus autem omnes convenisse, scilicet quod omnes sunt spiritus, et omnes immortales.

Circa tertium, refert duas opiniones. Quidam dixerunt malos Angelos in malitia creatos esse, nec fuisse aliquam moram inter eorum creationem, et lapsum. Fundamentum est, quia Dominus de diabolo dixit: *Ille homicida erat ab initio, et in veritate non stetit*. Et Augustinus dicit diabolus cecidisse ab initio, nec aliquando cum sanctis Angelis peccatum vixisse. Et sic existimant Angelos non libero arbitrio in malitiam lapsos, sed sic a Deo creatos, juxta illud Job XL: *Hoc est initium figmenti Dei, quod fecit ut illudatur ei ab Angelis ejus*. Alii vero tenent oppositum, scilicet omnes Angelos creatos esse bonos et aliquos libero arbitrio factos malos brevi aliqua mora post creationem; ratio est, quia Deus non potuit esse auctor mali creando ipsos Angelos malos: *Vidit enim Deus cuncta, quæ fecerat, et erant valde bona*. Et quia injustum est, ut Deus damnet naturam, quam creavit, sed solum voluntatem pravam pro demeritis punit. Quod ex Augustino ibi confirmat. Ex quo etiam solvit auctoritates adductas, quia illud Job: *Hoc est initium viarum Dei, seu figmenti Dei*, dicitur quia præcedit principatu, seu antiquitate, non quia malus factus sit, et illudatur ei ab Angelis, quia eis a Deo subditur, et ex ejus malitia sancti proficiunt. Quod vero dicitur esse homicidam ab initio non intelligitur ab initio creationis, sed ab initio, id est, ex quo homo fuit conditus quem invidia traxit in culpam; ut enim bene docet Augustinus, si Angelus non esset bonus factus non diceretur in veritate non stetisse, nec a cælo cecidisse, in eo enim in quo nunquam fuit, nec stare, nec ab eo cadere dici posset. Cecidit ergo non ab eo, quod accepit

in gloria, sed ab eo, quod in eo acciperet si Deo subdi voluisset.

Circa quartum, inquirunt primo, quam sapientiam habuerit Angelus ante confirmationem, vel lapsum? Respondetur, quod habuit naturalem, et aliquam etiam boni, et mali notitiam. Secundo, inquirunt, an aliquam Dei, vel sui dilectionem habuerit? Respondetur habuisse naturalem dilectionem, qua Deum, et se diligebant, per quam tamen non merebantur.

Circa hanc distinctionem, inquirunt D. Thomas, utrum in Angelis sit aliqua compositio saltem ex essentia et existentia, ex natura et subsistentia, de quo etiam videri potest prima parte, quæstione tertia, et quarta, et quæstione L, articulo II. Secundo, utrum possint esse plures Angeli ejusdem speciei, de quo etiam cit. quæstione L, articulo III. Tertio, inquirunt, utrum Angelus potuerit peccare in primo instanti creationis, de quo etiam prima p. quæstione LXIII, articulo IV. Quarto, inquirunt, utrum Angelus intelligat omnia per essentiam suam, an per species tanto universaliores, quanto Angeli fuerint superiores, de quo prima parte, quæstione LV, articulo I et III. Quinto, an etiam dilectione naturali plus diligant Deum, quam se, de quo I p. q. LX, art. V.

## DISTINCTIO IV.

In hac distinctione inquirunt Magister de conditione, seu qualitate Angelorum quantum ad statum beatitudinis, vel miserie, perfectionis, vel imperfectionis. Et sic dividitur in duas partes. In prima resolvit id quod pertinet ad statum beatitudinis, vel miserie. In secunda quod pertinet ad statum perfectionis vel imperfectionis.

Circa primum, respondetur, quod

nec in beatitudine, nec in miseria creati sunt, sed in statu merendi. Non fuerunt creati in miseria, quia miseria ante peccatum non est, sed ex illo oritur, Angeli autem ante peccatum creati sunt. Non fuerunt creati in beatitudine, quia sic non possent cadere. Quod si possent, utique præscirent lapsum suum, et ita vel non poterant vitare, et sic essent miseri, vel poterant, et non volebant, et sic erant stulti. Quod vero Augustinus dicit fortassis diabolo non fuisse revelatum casum suum, aliis vero revelatam fuisse suam perseverantiam, respondetur hoc Augustinum non asserendo, sed inquirendo dicere, subdit enim: «Quare Deus istis, quæ ad ipsos pertinent non revelaret, aliis vero revelaret, cum non sit prius ultor, quam aliquis peccator? Quare Angeli, qui corruerunt nunquam beati fuerunt, qui vero non corruerunt, solum in spe beati fuerunt.»

Circa secundum respondetur Angelos in sua creatione, quodammodo perfectos, quodammodo imperfectos fuisse. Perfectum enim dicitur tripliciter, scilicet secundum tempus, quod scilicet habet quidquid ei convenit secundum tempus suum, et sic fuerunt Angeli perfecti, juxta tempus illud ante confirmationem vel lapsum. Secundo, dicitur perfectum secundum naturam, scilicet quod habet quidquid convenit suæ naturæ usque ad glorificationem, et sic fuerunt Angeli perfecti post confirmationem in bono. Tertio, dicitur aliquid perfectum universaliter, id est, summe perfectum secundum universa bona, et sic solus Deus est perfectus.

Circa hanc distinctionem inquit primo D. Thomas, an fuerint Angeli creati in beatitudine; an vero illam meruerint, ubi de merito Angelorum, et duratione viæ in merendo, de quo prima parte, quæstio-

ne LXII, articulo I, et LXIII, articulo II. Secundo, inquit, an fuerint Angeli creati in gratia, ubi de justificatione eorum per propriam dilectionem, de quo I p. quæ. LXIII, articulo III.

## DISTINCTIO V.

Agit in hac distinctione post explicatam qualitatem in qua creati sunt Angeli de eorum discretionem, et differentiam penes aversionem, et conversionem ad Deum. Et circa hoc tria facit. Primo, explicat quomodo indigerint gratia Angeli ad convertendum se in Deum. Secundo, quomodo ex discretionem ipsius mali aversi sint. Tertio, an meruerint Angeli beatitudinem suam in ipsa gratiæ conformatione.

Circa primum, supponit, quod conversio Angelorum ad Deum fuit adhæsiō ad ipsum per charitatem, aversio vero recessio ab ipso per superbiam, vel invidiam, et conversio fecit justos, aversio vero injustos, quia utrumque liberæ voluntatis fuit, siquidem cum libero arbitrio creati sunt, quod est potestas, seu habilitas rationalis naturæ qua poterant eligere et ratione discernere quodlibet. Quo supposito inquit Magister quid fuerit collatum bonis Angelis ut converterentur ad Deum? Et respondetur fuisse collatam gratiam cooperantem, qua proficerent ad meritum vitæ æternæ. Nam gratia operante, qua justificatur impius, id est, ex impio fit justus non indigebat Angelus, quia malus non erat, conversi ergo sunt per gratiam non a bono perditio, sed a bono, quod habebant ad majus bonum.

Circa secundum, ad explicandam aversionem malorum objicit Magister quia sine gratia Angeli converti non poterant, et illa eis non est data non ob culpam suam quia adhuc

non præcesserat, ergo non est illis imputandum si conversi non sunt. Respondetur quod gratia quibus data est, sine meritis eorum data est, quibus vero negata est, culpa eorum fuit, non quia præcesserit, sed quia ex gratia accepta in creatione poterant stare, et non steterunt seu operari de facto bene, et noluerunt, operari autem non ex gratia, sed contra eam, hæc est culpa.

Circa tertium refert duas opiniones, nam quidam dicunt, quod meruerint per gratiam in ipsa confirmatione, seu beatitudine acceptam, ita quod simul in eis fuit meritum, et præmium. Alii vero quod in ipsa confirmatione solum acceperunt præmium, seu beatitudinem, per opera vero sequentia quibus famulantur Deo in ministerium hominum merentium beatitudinem jam receptam.

Circa hanc distinctionem primo, inquit D. Thomas, an potuerint Angeli peccare, et an primum eorum peccatum debuerit esse superbia, et, quid peccando appetierit diabolus, de quo etiam agit I p. q. LXIII. Secundo, inquit, utrum Angelus meruerit suam beatitudinem, et ad hoc indigerit gratia, de quo I p. q. LXII, art. IV et V.

## DISTINCTIO VI.

Explicata discretionem Angelorum quantum ad statum beatitudinis et miseriæ, incipit ab hac distinctione inquirere Magister, de his quæ consequuntur eorum statum in aversione, vel conversione, et in tribus sequentibus distinctionibus agit de his, quæ communiter consequuntur bonos, et malos. In aliis tribus de his, quæ specialiter pertinent ad bonos. Communiter ad bonos, et ad malos pertinent tria, scilicet quod tam de majoribus ordinibus, quam

de minoribus aliqui corruerint, et aliqui perstiterint. Secundo, quod mali manserint obstinati in malo, boni vero confirmati in bono. Tertio, quod communiter appareant hominibus in corporibus assumptis ad eorum exercitium.

Igitur in hac sexta distinctione explicat conditionem, seu excellentiam angelorum, qui corruerunt, et facit tria. Primo, explicat eorum excellentiam in natura ante peccatum quantum ad locum in quo sunt, et prælationem, quam exercent inter se. Tertio, quantum ad pugnam, seu tentationem erga nos.

Circa primum, docet de majoribus, quam de minoribus multos corruisse, multos etiam stetisse, sed unus de cadentibus, scilicet Lucifer fuit cæteris excellentior etiam his qui perseverarunt, nam id significat Scriptura, dum dicitur Job XL: *Ipsa est initium viarum Dei: et Ezech. XXVIII: Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia et perfectus decore.* Et Gregorius dicit: «Quod cæterorum comparatione Lucifer clarior fuit.»

Circa secundum, docet duo. Primum quoad locum, quod ceciderunt dæmones de cælo empyreo in istum aerem caliginosum. Draco enim de cælo cadens ut dicitur in Apocalypsi trahebat tertiam partem stellarum: diabolus dicitur princeps aeris hujus, et dæmones dicuntur rectores tenebrarum harum, et spiritualia nequitiae in cælestibus. Secundum est, quod dæmones alii aliis præsumunt, et secundum modum scientiæ habent majorem, vel minorem prælationem. Quidam uni provinciæ præsumunt, vel infestant, quidam uni homini, quidam uni vitio, alii alteri, sicut dicitur spiritus superbiæ, spiritus luxuriæ, etc. Quod si quæretur, an aliqui dæmones de facto sint in inferno, respondetur aliquos eos descendere, qui animas damnatas illuc deferunt cruciandas, et

quod semper ibi aliqui sunt non procul est a vero.

Circa tertium, distinguit de Lucifero, et de aliis dæmonibus tentantibus homines. Et dicit quod de Lucifero quidam putant tentasse, et vicisse primum hominem; deinde tentasse Christum et victum esse, et sic in inferno religatum usque ad tempora Antichristi quando solvetur Satanas, Apocalyp. xx. Alii vero dicunt ex quo cecidit, in infernum fuisse detrusum, sed tamen non eam facultatem habet nunc, quam habebit tempore Antichristi in omni fraude, et violentia. De aliis vero dæmonibus, qui tentant homines si vincuntur ab eis, putat Origines non impugnare iterum illum sanctum, quod aliqui intelligunt circa idem vitium, non circa aliud.

Circa hanc distinctionem, primo inquit Div. Thomas, an primus Angelus peccans fuerit primus omnium simpliciter, et aliis fuerit occasio peccandi, de quo etiam 1 p. quæst. LXIII. art. vii et viii. Secundo, inquit, utrum dæmones in hoc aere caliginoso torqueantur ubi etiam de pœna dæmonum ab igne, de quo 1 p. q. LXIV, art. iv. Tertio, inquit, an in dæmonibus sit ordo, et prælatio, de quo etiam 1 p. q. CIX, art. i et ii.

#### DISTINCTIO VII.

Sequitur in hac distinctione agere de alio consecuto ad aversionem, et conversionem Angelorum, scilicet de obstinatione malorum, et confirmatione honorum. Et circa hoc facit tria. Primo, proponit quomodo in Angelis malis sit obstinatio in malo, et in bonis, confirmatio in bono, simulque cum hoc remaneat libertas arbitrii. Secundo, quomodo in malis Angelis manserit cum obstinatione in malo perfecta scientia

naturalis. Tertio, explicat quid possint aut non possint circa corpora, et circa nos Angeli mali.

Circa primum, docet quod sicut boni Angeli in beatitudine sic sunt confirmati in bono, ut amplius peccare non possint, ita mali Angeli, sic sunt obstinati, et a gratia deserti, ut bonum facere non possint. Quod ut melius explicetur, objicit contra, quia si ita est videntur carere libero arbitrio, quia jam non possunt in alteram partem flecti. Respondetur quod Angeli boni ex natura voluntatis liberi sunt, sed ex gratia facti sunt impeccabiles per claram Dei visionem, et beatitudinem, quæ amitti non potest. Similiter per obstinationem, et omnis gratiæ desertionem Angeli mali non possunt aliquod bonum facere, et sic liberum arbitrium non est in Angelis extinctum, sed immutabile factum in bono, vel in malo.

Circa secundum, docet spiritus malos acumine scientiæ vigere, tum subtilitate naturæ suæ, tum longi temporis experientia, tum supernorum spirituum revelationibus juxta Dei permissum. Et per hanc scientiam, ac virtutem, quam habent magicæ artes exercentur, et quibusdam datur potestas a Deo, sive ad fallendum fallaces, sive ad monendum fideles, sive ad probandam justorum patientiam, ut dicit Augustinus. Unde et in tertia plaga Ægyptiorum, quæ erat ciniphes, defecerunt magi Pharaonis, ut ostenderetur nihil etiam minimum eos posse, nisi ex permissione Dei.

Circa tertium, docet tria. Primo, non servire Angelis ad nutum hanc materiam rerum visibilium, sed Deo a quo est hæc potestas. Secundo, quod Angeli non possunt dici creatores, licet aliqua mira faciant, quia hæc per applicationem corporum quibus insunt hujusmodi semina efficiunt, sicut nec parentes

nostri creatores nostri sunt, nec agricolæ frugum ad quas semina spargunt, sed Angeli seminalibus virtutibus congrue adhibitis, et temperatis res miras efficiunt, non virtutem intrinsecus dant, sicut etiam solus Deus nos intrinsecus justificat, possunt tamen homines extrinsecus evangelium proponere, et multo magis Angeli, et similiter occultas virtutes quas melius noverunt, possunt ad res aliquas faciendas admove, nec eas primordialiter, et originaliter efficiunt sicut Deus. Tertio, quod multa facere possunt Angeli ex virtute suæ naturæ, quæ per Dei prohibitionem, vel superiorem Angelorum detentionem non permittuntur facere sicut in Ægypto fecerunt serpentes, et non potuerunt facere ciniphes. Homo etiam potest ambulare, sed si impediatur non potest. Quantum autem possint Angeli ex potestate suæ naturæ, et quantum non sinantur facere ex Dei detentione, homini explorare impossibile est.

Circa hanc distinctionem, inquit primo D. Thomas, utrum dæmones sint ita obstinati in malo, ut nullum bonum facere possint in quo de causa obstinationis hujus, et de hoc agit etiam 1 p. quæst. LXIX, art. i. Secundo, inquit, an beati Angeli possint peccare, de quo 1 p. quæst. LXV, art. ii. Tertio, an manserit in dæmonibus scientia, vel obtenebratus sit intellectus eorum, de quo 1 p. q. LXIV, art. ii. Quarto, an possint verum effectum inducere in materiam corporalem, de quo 1 p. q. cx. Quinto, an possit per eos fieri divinatio, et licitum sit uti eorum opera, et consilio, de quo 2-2 quæst. xcvi, et seq. de divinatione.

#### DISTINCTIO VIII.

In hac distinctione agit Magister de corporibus in quibus Angeli

tam boni, quam mali apparere solent. Et facit tria. Primo, ostendit Angelos corpora naturaliter unita non habere, sed in assumptis apparere. Secundo, occasione hujus disputat, an Deus in formis corporalibus apparuerit. Tertio, an ipsi Angeli corpora hominum intrare possint, et etiam mentes.

Circa primum, refert quosdam ex aliquibus Augustini verbis putasse, quod Angeli habebant corpora ex subtiliori aere ad agendum idonea, non ad patiendum, quæ Angelis malis mutata sunt in deteriore qualitate. Sed hæc (ut inquit alii) non dicit Augustinus affirmando, sed aliorum opinionem referendo, et ita plurimi catholici tractatores in hoc conveniunt, quod Angeli omnino incorporei sunt, sed assumunt corpora aliquando in quibus implent ministerium aliquod a Deo apparendo hominibus, quo ministerio expleto deponunt illa.

Circa secundum supponit ex Augustino, in ii de Trinitate, Deum etiam in formis corporalibus apparuisse hominibus; inquit autem, an apparuerit immediate per se creaturam aliquam creando ad illam apparitionem, an ministerio Angelorum materia illa corporalis coaptaretur, et ex persona Dei ibi apparerent. Quam quæstionem Augustinus in iii de Trinitate proponit, sed indiscussam relinquit. Respondet autem Magister pro certo tenendum esse, quod Deus in suæ essentiae specie nunquam est visus, quia ut ipse dixit Moysi: *Non videbit me homo, et vivet*, et iterum in evangelio Joannis i, v̄ xviii: *Deum nemo vidit unquam*. Unde apparitiones illæ, quæ patribus fiebant, per subjectam creaturam factæ sunt, et licet nos lateat quomodo sint factæ, tamen per Angelos esse factas dicit.

Circa tertium, constat dæmones intrare in homines quia de eorum

corporibus sæpe expulsas fuisse evangelium docet. An vero substantialiter sint ingressi, an solum per effectum malitiæ ad quam homines pertrahunt, respondetur in mentem, seu cor hominis non illabi dæmonem substantialiter, sed solum dicitur implere cor ratione effectus quo illud implet, id est, ratione malitiæ ad quam trahit, sicut implevit cor Ananiæ non intrando, sed malitiæ suæ virus inferendo ut ex Beda super Acta Apostolorum docet, et ex Gennadio in definitionibus ecclesiasticorum dogmatum.

Circa hanc distinctionem, primo inquiri D. Thomas, utrum angeli habeant corpora naturaliter unita, an assumpta. Secundo, utrum in eis exerceant opera vitæ, de quibus in 1 p. quæst. LI. Tertio, an Deus apparuerit in figuris corporalibus, de quo hic. Quarto, an Deus solus illabatur menti; an etiam Angeli, de quo 1 p. q. VIII, ubi agitur de illuminatione Angelorum erga alios Angelos, et homines.

## DISTINCTIO IX.

Ab hac distinctione agit de tribus, quæ specialiter spectant ad dignitatem bonorum Angelorum. Primo, de distinctione hierarchica per ordines suos. Secundo, de missione Angelorum. Tertio, de custodia.

In hac ergo distinctione agit de ordinibus Angelorum. Et dividitur in quatuor partes. In prima distinctionem ipsorum ordinum ponit, rationemque eorum assignat. In secunda inquiri, an ab initio creationis ista distinctio ordinum sit. In tertia, an unius ordinis sint æquales. In quarta, an homines assumantur ad istos ordines, an seorsum ordinem suum constituunt.

Circa primum, docet ex Scriptura,

et ex Dionysio tres esse hierarchias, et in qualibet hierarchia tres ordines Angelorum. In prima, seu suprema hierarchia sunt Seraphim, Cherubim, et Throni. In secunda Dominationes, Principatus, Potestates. In tertia Virtutes, Archangeli, Angeli. Dicuntur Seraphim, id est, ardentis, qui eminent in dilectione: Cherubim, qui eminent in scientia: Throni, qui in iudiciis Dei discernendis præcellunt: Dominationes, qui in dominio principantur: et Potestates transcendunt Principatus, qui inferioribus præsunt et agenda disponunt: Potestates, qui potentiam habent ad coercendos adversarios: Virtutes, qui signa et miracula faciunt: Archangeli, qui majora nuntiant: Angeli qui minora. Et horum nominum distinctio magis posita est propterea ut innotescat nobis eorum distinctio, quam propter ipsos, qui sibi satis noti sunt: hoc tamen observando, quod semper ordo superior nominatur ab excellentia doni, quam participat, licet etiam inferiorum dona habeat, et in eis excellat, sicut Seraphim denominatur a dilectione in qua specialiter excelluerunt, et tamen etiam habent plenitudinem scientiæ adhuc majorem, quam Cherubim, ut pote ex unione amoris ortam.

Circa secundum, aliqui ordines videntur fuisse ab initio etiam ante casum, dæmonum, Lucifer enim dicitur cæteris dignior fuisse, et Apostolus Principatus, et Potestates tenebrarum nominat. Alii vero ordines, ut Seraphim, et Cherubim, et Throni non videntur fuisse, quia hi nominantur a supernaturalibus donis, in quibus soli boni excelluerunt. Unde dicit, quod etsi aliqui ab initio fuerint aliis superiores juxta naturæ suæ subtilitatem, et perspicaciam, non tamen omnium ordinum distinctio fuit ab initio, sed dicuntur ex illis ordinibus fuisse aliquos, seu

cecidisse, ad quos pervenissent, si stetissent.

Circa tertium, docet non omnes unius ordinis Angelos esse æquales, quia Lucifer cæteris omnibus dignior fuit, unde si perstitisset, omnes sui ordinis antecelleret, inæquales ergo sunt in uno ordine.

Circa quartum, docet non fieri ex hominibus decimum ordinem seorsum a novem ordinibus Angelorum, eo quod homines in gloria ad ordines Angelorum assumuntur, dicuntur enim æquales ipsis futuros, non sunt autem plures ordines Angelorum, quam novem, nec fuissent plures etiam si omnes perstitissent. Quare decimus ordo dicitur ex hominibus, quia cum ex omnibus novem ordinibus plures Angeli corruerint, reparantur ex hominibus quasi extraneis ab illis novem. Et quidam cum Gregorio dicunt tot homines salvandos, quot Angeli manserunt juxta illud Deuter. xxxii: *Statuit terminos populorum juxta numerum Angelorum Dei*. Alii cum Augustino ad minus tot salvandos quod corruerunt ex Angelis et fortasse plures.

Circa hanc distinctionem, primo inquiri D. Thomas, an recte definiatur, et distinguatur hierarchia a Dionysio, et triplex actus ejus assignatur purgare, illuminare, perficere. Secundo, utrum distinctio hierarchiæ, et ordinum in Angelis sit a natura; an a donis gratiæ. Tertio, an convenienter distinguantur tres hierarchiæ, et novem ordines. Quarto, an omnes unius ordinis sint æquales ubi etiam; an sint plures Angeli ejusdem speciei, de quo 1 p. q. L. art. v. Quinto, an homines assumantur ad ordines Angelorum de quibus omnibus agit 1 p. q. cviii. Et vide etiam 2-2 q. clxxxi, a. iv de assumptione hominum ad ordinem Angelorum.

## DISTINCTIO X.

Agit in hac distinctione de missione Angelorum in qua difficultatem unam tractat; utrum scilicet ex omnibus ordinibus mittantur. In quo duo facit. Primo, proponit duas opiniones. Secundo, quomodo utraque defendi possit declarat.

Circa primum quidam dicunt supremæ hierarchiæ Angelos nunquam ad exterius ministerium mitti, tum quia Daniel. vii quidam Angeli dicuntur assistentes, quidam ministrantes, qui ergo assistunt, non ministrant; tum quia Dionysius dicit, quod superiora agmina usum exterioris ministerii non habent. Alii tenent ex omnibus ordinibus Angelos mitti, tum quia Isai. vi unus de Seraphim, qui est supremus ordo dicitur volasse ad prophetam, tum quia Apostolus dicit ad Heb. ii. *Omnes sunt administratorii spiritus missi in ministerium, etc.* tum quia si Filius Dei est missus in mundum, quid mirum si omnes Angeli mittantur? Quod si quærat, cur si omnes mittuntur, unus tamen dicitur ordo Angelorum, id est, nuntiorum Dei, respondetur illos dici nuntios, quia quasi officio frequentius mittuntur, alios tamen mitti, sed rarius. Unde etiam aliqui putant Michaelem, Gabrielem, et Raphaellem de superioribus fuisse, quæ tamen nomina potius videntur spirituum esse, quam ordinum, licet alii putent non esse singularium nomina Angelorum, sed nunc hujus, nunc illius secundum qualitatem eorum quæ nuntiant.

Circa secundum qui dicunt omnes Angelos mitti ad auctoritates Danielis, et Dionysii respondent superiores dici assistentes, non mitti, quia rarissime ad exteriora mittuntur, et quando mittuntur ab intimo con-